

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Friedrich Alexander Künhold


**Procancellaris D. Fridericvs Alexander Kvnhold Pand. P. P. Promotionem In  
Vtrivsqve Ivris Doctorem Praeclarissimi Candidati Christiani Friderici Fleischeri  
Dresd. D. XVIII. Oct. MDCCLIII. Svscipiendam Indicit**

Lipsiae: Ex Officina Langenhemiana, [1753]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004836589>

Druck    Freier  Zugang





KK - 1 (7)





*T 14*

PROCANCELLARIUS  
D. FRIDERICVS ALEXANDER  
KVNHOLD  
PAND. P. P.  
PROMOTIONEM  
IN  
VTRIVSQVE IVRIS DOCTOREM  
PRAECLARISSIMI CANDIDATI  
CHRISTIANI FRIDERICI FLEISCHERI  
DRESD.  
D. XVIII. OCT. CIOCCCLIII.  
SVSCPIENDAM  
INDICIT.

PROCANCELLARIAS  
D. FRIDERICAS ALEXANDER  
KÜNHOLD  
PVND R R  
PROMOTIONEM  
IN  
ATRIAE IURIS DOCTORI  
PRAECLARISSIMA CANTABRICA  
CHRISTIANI FRIDERICI HESCHERI  
BVRG  
D. XAVII OCTO CICOGNI  
SACRITISSIMUM  
IMAGINA



**A**ntiquas dubitationes, quae circa id quod interest in infinitum producebantur, non omnes sustulit I V S T I N I A N V S, neque veteri prolixitati finem imposuit constitutione, quae extat in *L. vn. C. de sentent.* *quae pro eo quod interest perferuntur.* Placet igitur ex vexata satis, multisque dubiis obnoxia doctrina eius quod interest, quaedam ad memoratae Legis illustrationem pertinentia in medium proferre. Interesse latine vocationis, cum aliquid interuallum interpositum esse significamus: veluti cum inter aes et aurum plurimum interesse dicimus; Multum enim inter utriusque naturam, vim et pretium interpositum esse significamus. Itaque cum quid factum est, quod conditionem rei familiaris alicuius Patrisfamilias deteriorem effecit, permagni illius interesse constat, vt fortasse non incommodo id quod interest definiri possit: discrimen quod inter eam conditionem, quae in re familiaris alicuius vel antea fuit, vel omnino futura erat, et eam quae nunc est, per alterius culpam contigit. Propterea autem additur: vel omnino futura erat, vt intelligatur interesse dici, non tantum ubi damnum acceptum est, sed etiam ubi lucrum auersum impeditumque est, quam sententiam P A V L V S in

L. 13. ff. ratam rem haberi etc. confirmat, dum in tantum competere actionem, in quantum interfuit, id est, quantum mihi abest, quantum lucrari potui, competere afferit. Accipitur autem id quod interest de omnibus rebus, siue corporalibus, siue incorporalibus, praeter pecuniam numeratam, et species, quae pondere, numero, mensura, constant. Quoniam in pecunia numerata proprie vslra dicitur: quae quamvis nihil aliud sit quam id quod interest Lege definitum ac circumscripum, tamen quia suum proprium nomen habet, ad solam pecuniam numeratam accommodatur. In speciebus autem non eius quod interest, sed quanti plurimi aestimatio dici solet: propterea, quod nihil potest in iis singulariter interesse quae non ex specie et corpore suo aestimantur, sed ex genere, quod vulgare est, et passim facile atque vndeunque parari potest. Eius vero quod interest duas partes esse constat. Nam interdum in sola re principali consistit: interdum, et multo frequentius, in eius accessione, quod V L P I A N V S his demonstrat verbis in L. 1. ff. de act. emti et vend. si res vendita non tradatur, in id quod interest agitur: hoc est quod rem habere interest emtoris, hoc autem interdum pretium egreditur, si pluris interest, quam res valet, vel emta est. Nam cum adscribat: interdum pretium egreditur, perspicue docet, interdum etiam non egredi. Sed video etiam V L P I A N V M id quod interest dixisse, quanti ea res est, in L. 2. ff. qui satisd. cog. eodem modo interesse, pro rei principalis aestimatione, usurpatur, in L. 80. ff. de furtis. Porro illud praetermittendum non est, Iurisconsultos hoc loco, vt saepe alias, disciplinae et perspicuitatis causa, differentia vocabulorum utri et veram rei principalis aestimationem ab eo damno quod

quod nō extrinsecus accessit, nō plerumque distinguere.  
Velut in **CUM PAVLVS** in **L. 70. ff. de cuius.** sic scribit: **cuius rei**, ex emto actio non ad pretium duntaxat recipiendum, sed ad id quod interest, competit. Simil modo **VLPIANVS** in **L. 1. ff. de tut. et rat. distractab. et magis,** inquit, esse arbitror, in hac actione, quod interest non venire, sed rei tantum aestimationem, et in **L. 193. ff. de verb. signif.** haec verba; quanti eam rem appetet esse, non ad id quod interest, sed ad rei aestimationem referuntur. Quanquam illud etiam obseruandum, haec verba; quanti ea res est, nonnunquam etiam id quod extrinsecus interest, completi. Itaque cum Lex Aquilia scripta sic esset, quanti ea res plurimi fuerit: Iurisconsulti in **L. 21. et 22. ff. ad L. Aquil.** non solum corpus aestimandum esse quanti fuerit, sed etiam quanti nostra interfuit, existimarunt. Deinceps illud obseruandum, huius interesse, hoc enim vti vocabulo, quod in scholis nostris tritum est, nihil est incommodi, duo esse genera. Aliud enim ex damno accepto, aliud ex utilitate interuersa et impedita aestimatur, quod probatur ex **L. 13. ff. rem rat. haberi;** et auctoritatem habet praecipuam in **L. vn.** **C. de sent. quae pro eo quod inter proferuntur.** Itaque Iurisconsulti passim utilitatis verbo et eo quod interest, promiscue et communiter utuntur, velut in **L. 22. ff. ad L. Aquil.** vbi, cum **VLPIANVS** dixisset, aestimationem eius quod interest deberi, **PAVLVS** sic intulit: proinde si seruum occidisti, quem sub pena tradendum promiseram, utilitas venit in hoc iudicium. Hinc **VLPIANVS** in Lege sequente scribit: si seruus heres institutus occisus sit, etiam hereditatis aestimationem praestandam esse. Quod autem de utilitate dicimus, id de ea deum utilitate quae vera, certa et explo-

rata est, intelligi oportet; non de incerta utilitatis opinione, qualis est, ea quae in fortuna et incerto rerum futurarum evenitu posita est, veluti si venditor vinum aut triticum non tradiderit, de quo negotiari emtor potuit, et magnum mercator quaestum ex ea negotiatione facere, *L. 21. §. 3. ff. de act. emt. vend.* aut si fundum amisi, qui maiorum meorum fuerat vicinumque quendam amicum habebat, quia interesse de quo disputamus, in re familiari consistit; deinde quia aestimari hominum studia et affectiones non possunt. Nos autem eius quod interest aestimandi rationem inquirimus. Praeterea quia perrara et minutæ illa sunt, quorum ratio a Iureconsultis non magnopere habetur. Postremo quia quemadmodum quisque animo affectus sit, et quod quisque sibi studium et desiderium fingat, ad Ius Civile non pertinet. Nunc proximum est, ut quomodo illud interest commode dispesci possit, consideremus. Aliud vero reperio finitum et circumscripsum esse: alterum incertum atque indefinitum. Finitum est, cuius summa conuentione certa definita et circumscripta est: quod quia poenae vim obtinet, idcirca poena vulgo appellatur *L. 38. §. 17. ff. de verb. Obl. vbi v. L. PIANVS:* in poena inquit, non amplius quid intersit, quae ritur, sed quantum conuentum sit. Id autem propterea fieri consuevit, quia, cum quanti ciuisque intersit, in facto, non in iure consistat, difficillima autem eius probatio sit: satius et expeditius fuit eius summam certa aliqua conuentione ita definire, ut etiam si nihil interesset, ea tamen praestaretur: nimis quia quod plerumque accidit spectamus: plerumque autem accidit ut intersit. Sine causa ergo arguti videntur, qui ex eo loco disputant, poenam conuentam et interesse idcirco diuersa esse, quia illa etiam vbi nihil interest, petitur.

petitur. Non enim Iureconsultus praecise hoc intelligi voluit, etiamsi nihil intersit: sed non vocari in quaestionem, vtrum intersit, nec ne, verum id sumi et praesupponi quoniam nunquam fere accidit, quin intersit. Indefinitum interesse illud appellatur, cuius quantitas incerta et obscura est, cuiusque omnis quaestio in facto, hoc est in coniecturis et fallacibus argumentis posita est, et eius quidem bipartita diuisio videtur: ut aliud sit commune, ordinarium, usitatum, frequens, quotidianum, vulgare: aliud vero inusitatum, insolens, inopinatum, impropositum. Commune est, quod sine aliquo insigni et inusitato damno, mediocri aliquo cum incommodo contingit, veluti cum res commodata deterior est redditum, quam accepta, L. 3. §. 1. ff. *commod.* Extraordinarium est, cum insigne aliquod damnum praeter opinionem et consuetudinem acceptum est, insignisque utilitas amissa, veluti si animal morbosum venditum, cuius contagine grex totus interiit, aut tignum vitiosum venditum, cuius vitio domus in illud incumbens corruit: aut dolium vitiosum venditum, cuius vitio vinum, oleumque infusum corruptum est. His fundamentis positis hanc difficulter via quaedam eius quod interest aestimandi reperiri potest, atque non incommodum est si dicamus, iis casibus, quibus communis quadam et quotidiana ratione, id est, sine inusitato et insigni aliquo detimento interest; primum si damni quantitas certa et explorata est, eam esse seruandam, sin vero obscura et ambigua, tum ita condemnationem faciendam esse, ut nunquam alterum tantum supereretur, sed dupli modus perpetuo seruetur. Neque dubito quin illud ipsum Imperator Iustinianus spectarit in illa nobili et vexata L. vn. C. de sent. qu. pro eo qu. inter prof. vbi iis casibus, qui certam naturam vel quantitatem habent, du-

plum

pluri excedi non oportere statuitur. Casus enim certae  
 naturae vel quantitatis, casibus incertis opponens, perspicue  
 meo iudicio, demonstrat cum incerti casus interesse ii sint,  
 quibus praeter opinionem et quotidianum rerum humanarum  
 cursum interesse aliquod insigne contigit: eos certae naturae  
 vel quantitatis dici, quorum usitata et frequens, et ex com-  
 muni rerum cursu atque ordine propemodum certa natura  
 vel quantitas est, veluti, si is, cui equis aureorum triginta  
 commodatus esset, sic eo abusus sit, ut eum decem aureis  
 deteriorem fecerit: quis est rerum quidem humanarum non  
 omnino imperitus, qui ex quotidiano et communi vitae hu-  
 manae cursu non possit naturam et quantitatem illius damni  
 aestimare? Qua de causa certam illam eius quod intest quan-  
 titatem Iustinianus appellat, id est, non insolentem neque  
 extraordinariam. Quae cum ita sint, quis non videt, cum  
 casum quo promissus in diem fundus non praestatur, certae  
 quantitatis recte appellari posse? quippe cum certa sit eius  
 aestimatio, quae in ipsius locum succedit. Dum enim v L-  
 PIANVS in L. 111. q. ff. de Verb. Oblig. sic loquitur: si fundum  
 certo die dari stipuler, et per promissorem steterit, quo mi-  
 nus ea die praestetur, consecuturum me, quanti mea intersit,  
 non esse datum; nemo non iudicabit et hoc simplum, dum  
 modo nullum extrinsecus detrimentum insigne acciderit,  
 facile ex fundi aestimatione statui posse. Quod ad extraor-  
 dinarium interesse attinet, distinctione opus est, ut quibus ca-  
 sibus causa damni accepti, lucrue impediti necessaria subsit,  
 iis casibus, quanti illud esse constet, siue dolus siue culpa  
 intercesserit, tam reus condemnetur: sin autem causa adiqu-  
 uans, tum distinguendum omnino putarem, utrum dolus ma-  
 lus, an culpa tantum interuenierit. Neque enim ius aequum  
 cum

eum qui in culpa est, ut eum qui dolum admisit, coercendum censet. Ergo si culpa tantum interuenerit, tum ad dupli quoque rationem reuocandam aestimationem arbitror. At si dolus commissus probetur, iterum considerandum existimo, vtrum damnum acceptum sit, an vero lucrum impeditum, quarum rerum magnam Ius Ciuale differentiam statuit, vti patet ex L. vlt. §. 5. C. de iure delib. Nam si dolus malus, id est, malitia consulto ad inferendum alicui damnum adhibita fuisse probabitur, et damnum illud reuera acceptum sit, veluti si venditor foeni, data opera illud non tradiderit, vt equus emtoris fame periret: venditorem in solidum condemnandum existimauerim, non tantum propter id quo interest, verum etiam vt delictum illud atque iniuria dolo mali illata plegetatur. Si autem lucrum duntaxat impeditum, tum iterum considerandum erit, vtrum lucrum certum et exploratum fuerit, veluti cum seruus heres institutus interfecitus est: tum enim solidum quoque praestandum arbitror: sin autem in incerto duntaxat rerum euentu et fortuna positum fuerit, vti si equos venditos non tradideris, quos in castra mercator ducere, et plurimi vendere potui, tum difficile profecto dictu est, solidum praestandum esse: quoniam ne dici quidem potest, lucrum eo casu ademtum esse: neque tamen non improbitas dolii mali coercenda est. Sed quia ex facto res pendet, ea necessario prudentiae et aequitati iudicis committenda est, quod etiam Legi vnicae Codicis memoratae conuenientissimum. Et quis non videt, hisce fundamentis positis, varias interpretum, qui interesse aliud legale, iudiciale, estimabile, inestimabile, commune, singulare tradunt, diuisiones nec adaequatas esse, nec utilitatem in se continere. Quod probationem quanti cuiusque intersit, attinet, hanc difficillimam esse queritur VENYLEIVS in L. vlt. ff. de stip. Praet. Eadem querela

B

recen-

recentiorum ICtorum est apud BARBOSAM in thesauro locorum communium Iurisprudentiae L. 9. C. 102. ax. 5. Et Venuleio quidem iustior querendi causa est quam his. Venuleii enim temporibus iudices ad verba et formulas alligati, adiudicare quidquam, quod deberi ad oculum demonstratum non esset, haut poterant. At post Venuleum IVSTINIANVS in L. vn. C. de sent. quae pro eo qu. inter prof. finem antiquae prolixitati imposuit, iudicesque prouidere iussit, ne probatio eius quod interest, immodicis peruersationibus in circuitus inextricabiles redigatur, nec, dum in infinitum computatio reducitur, pro sua impossibilitate cadat. Oportet igitur iudices post hanc saluberrimam constitutionem non sciupulose nimis exactam probationem requirere, sed ex aequo et bono arbitrari et iudicare, et dummodo auctor demonstret sua vere interesse, reum autem in dolo vel culpa haerere, quantitatem eius quod interest deinde ex ipsis circumstantiis determinare. Sed quis omnes, quae circa doctrinam eius quod interest, occurrunt, controversias recensuerit. Omitto igitur lubens alia, instituti rationem habiturus, et cum intersit Reipublicae merita eorum, qui eius vtilia membra se exhibent, aliorum incitamento, non occultari, de vita et studiis Praeclarissimi Candidati nostri quedam commemorabo. Est scilicet  
**CHRISTIANVS FRIDERICVS FLEISCHER,**  
 qui Dresdae die xxviii. Iunii Anno 1510 CC XXV. patre  
**JOHANNE FRIDERICO FLEISCHERO** I. V. D. et Iuris Practico Dresdensi, admodum celebri, die xvi. Iunii a. c. prematura morte ipsi erepto, matre DOROTHEA RENATA, adhuc superstite, CHRISTIANI WEINLIGII Consulis Dresdensis, aetate et grauitate conspicui, filia, natus. Literas humaniores initio priuatis institutionibus, praecipue M. AL-  
 MERI

MERI

MERI et M. süssii, quorum ille Walrodae Pastoris, hic vero Königsteinii Diaconi officio hoc tempore fungitur, deinde vero per biennium GRABNERI, Scholae in noua prope Dresdam vrbe tunc Rectoris, nunc vero Conrectoris Scholae prouincialis Portensis, publicis pariter atque priuatis, et priuatissimis preelectionibus hausit. Anno 1510CCXLIV. in Academiam nostram se contulit, vbi in numerum Ciuium receptus, in Philosophia et Mathesi WINCLERVM, in Iurisprudentia autem FEVSTELIVM, IOH. FLORENTEM RIVINVM, IOH. IACOBVM MASCOVIVM, SIEGELIVM, MENCKE NIVM, et ZOLLERVUM Praeceptores habuit. Peractis studiis academicis, Dissertationem de iure accrescendi vendita hereditate ad emtorem pertinente, conscripsit, atque Praeside MENCKENIO, die vi. Apr. A. 1510CCXLVII. publice defendit, et praeuiio examine, quod pro praxi vocatur, a nostro Ordine omnino dignus iudicatus est, qui officio Aduocatorum fungeretur. Quo facto in patriam reuersus, atque in numerum Aduocatorum relatus, tam sub auspiciis b. Parentis, quam proprio marte causis in foro orandis operam dedit. Nouissime Illustrissimus et Excellentissimus Dominus HENRICVS COMES a BRVHL Potentissimi Poloniarum Regis Primarius status publici Minister, in praedio feudali SEYFFERSDORFF, Perillustris Dominus GALLVS MAXIMILLANVS LIBER BARO A RACKNITZ Potentissimi Poloniarum Regis in aula Serenissimi Principis Electoralis Mareschallus in pr. f. LOCKWIZ, et tandem Illustrissimus Dominus IOH. GEORG COMES A SCHOPENFELD Potentissimi Regis Poloniarum Consiliarius Camerae, et Generosissimus OTTO FERD. PFLVG, Curatores minorennum a Lüttichau in pr. f. WEISSIG administrationem iurisdictionis patrimonialis ipsi, qui viuo parente Adiuncti eius et Actuarii partes


## XII

tes sustinuerat, commiserunt. Nunc condigna praemia acquisitae iuris peritiae, haut vulgaris, accepturus, ad nos accessit, et Ordini nostro in utroque examine solidis ad propositas quæstiones responzionibus satisfecit. Nihil igitur reliquum est, quam ut Candidato nostro dignissimo, praestitis, quae adhuc praestanda sunt, Lectione scilicet cursoria, proximo die Mercurii hora II. pomer. in Auditorio Petrino instituta, qua I. 23. C. de Legat. interpretabitur, et inaugurali dissertatione *de debito speciei, moto ante traditionem Concursu Creditorum, praecise praestando,* die 18. Oct. horis consuetis sine Praefide defensa, summi in utroque lute honores, optime merenti tribuantur, quos Vir Illustris et Excellentissimus FERDINANDVS AVGVSTVS HOMMEL, ICtus celeberrimus, Potentissimo Poloniarum Regi in summo Prouocationum iudicio Consiliarius, Institutionum Iuris P. P. O. et Ordinis nostri Assessor grauissimus, Collega honoratissimus, cui auctoritate Regia Procancellarius ad hunc actum constitutus, vices demandauit, ipsi, cum priuilegiis et iuribus, quae Doctores in Collegium nostrum non recipiendi, quos extra Facultatem promoueri dicimus, consequuntur, impertierunt. Cui solennitati condecorandæ ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIPUBLICÆ PROCERES, ET ACADEMICI CIVES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI QVE, AC OMNES QVI ORDINI NOSTRO fauent, interesse haut dedignantur, studiosissime, mutua officia pollicitus, rogo atque contendō. D. Dominica, quae Trinitatis Festum sequitur, XVII. CIOCCI LIII.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.







*F141*

PROCANCELLARIUS  
D. FRIDERICVS ALEXANDER  
KVNHOLD  
PAND. P. P.  
PROMOTIONEM  
IN  
VTRIVSQVE IVRIS DOCTOREM  
PRAECLARISSIMI CANDIDATI  
CHRISTIANI FRIDERICI FLEISCHERI

D R E S D .

D. XVIII. OCT. CICCCCLIII.

S V S C I P I E N D A M

I N D I C I T U

